O. H. Vidalinus
Ode
ad
Principem Fridericum

Oddur Halldórsson
Vídalín.
Ode ad Frid. VI.
1785.

ODE

AD

PRINCIPEM FRIDERICVM REGNORVM HAEREDEM

V. CAL. FEBR.

A. CH. N. M DCC LXXXV.

SCRIPTA AB

OTTONE HALTORI FIL. VIDALINO.

HAVNIAE

EX OFFICINA STEINIANA.



Cur hanc laetitiam, et iocos,

Et prolem Eurynomes lilia candido
Pulſantem, video, pede?

Cur ducunt hilares per iuga montium
Summorum Dryades choros,

Exultat que genus prodigialium
Faunorum omne? volubilis

Cur terrae reſonant oppida, et arduum

Quas-

Quaſſant aethera cantibus,

Noſtra et reſpiciunt littora? dic, age,

Dic o Melpomene: noua

Procedit IVVENIS gloria Baltici, et

Rerum nobile gaudium,

Arctoi que ſacrum delicium ſoli.

Nam late domina domo

Quamuis ILLE decens, et ſerie aurea

Quamuis vſque tenentium

Heroum penitus luceat; aſt piger

Nunquam conſpicuis patrum

Inniti veterum geſtit honoribus.

Sed, quam pandit amabilis

Virtus, et vigor, et ſtrenua pectora,

Mens que innubila ſemitam

Excelſo ire gradu. talis originem

Anti-

Antiquam viridis refers,

Vniti ſtabilis ter, FRIDERICE, Spes

Regni; dum dare neſcius

Curis ingenuis, aut ſpatium, aut moram

Gaudes omnia perpeti,

Promptus, ſi valida continuum manu

Tutari; atque laboribus

Augere aſſiduis commoda ciuium

Diſcas: a teneris probe

Rectorem meditans vnguibus inclytum.

Ergo quos FRIDERICE, quos,

Vere magnanimae prodigus indolis

Diffundis radios Tvae

Lympharum ſonitus emorientium

Vltra? quae properas dare

Primaeui nimium florida temporis

Liba-

Libamenta? futurus es
Quantus poſt ſolidos (quod placeat Ioui)
Annos? Dania pallidum
Deponit ſenium, grata que ſuſpicit
Te ſtellae ſimilem bonae
Fulgentem; et veteres nunc reputat ſibi
Vno in PRINCIPE principes
Emirans iterum naſcier optimos.
Te ſemota Britannia
Spectat contiguis dedita plauſibus.
Te natum Boreae ſtupent
Europaea ducum. Sic aquiloniae
Telluris, IVVENIS, decus,
Sic Te coelicolum protegat arbiter,
Gentes excipias aue
Concordes niuea: longa que patrio
Ritu

Ritu, flumine ſaecula

Tingas Heſperio; Cimbriados cluens

Orae lux, amor, et ſalus

Immenſa. et geminis dulce Trionibus

Nomen; ſtemma que debitum

Protendas nitidi conciliis poli.